

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico
Heideggero professore Tigurino adversus sacras**

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio XXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](#)

versis Summis Pontificibus fuerit dein-
ceps reiterata, concessis diversis etiam
Privilegijs ob maxima, quæ ibidem
Beatae Mariæ meritis dignatus est Altis-
simus operari miracula, uti habent plu-
res Bullæ in Archivio Einsidlensi asser-
vatae.

DISSERTATIO XXI.

*An per miracula concilietur aliqua
authoritas ad probandam Divinam*

Sacelli Einsidlensis conse-

crationem?

I. H Eideggerus §. 22. rē ita prosequi-
tur. Sed miracula, miracula! Ita
inclaimant Mangones moderni, ut Divi-
nam autoritatē concilicent suæ Divæ.
An non majestas est, inquiunt cum Lip-
sio Aspricollensem suam Divam exor-
nante, *Divina illa opera edere, iactis lumen,*
claudis gressum, ægris salutem reddere, in ip-
pos damones imperium exercere? & quid non?
Notum est, quomodò talia declament
adversarij, & causæ suæ in ijs arcem
col-

73

collocent. Notum, quam acriterib[us] de-
cantent suas illas scripturas veteres in
parietibus templorum descriptas qua-
les Agyrtæ , ac Sepiasiarij morborum
ab se curatorum testes circumferre so-
lent.

II. Quam astutè hic Doctor Tiguri-
nus agit illam fabulosam vulpeculam,
quæ cum ornamento caudæ esset desti-
tuta , cæteris quoquè vulpibus persuad-
ere conata est , ut caudam depone-
rent. Sed si Mangones sunt, qui Divo-
rum miracula deprædicant , quid senti-
es Heideggere de Sancto Augustino .
Confess. cap. 7. describente miracula,
quæ ex Reliquijs Sanctorum Gervasij &
Protasij acciderunt ? An non Manga-
num mentiendi artem callentium for-
mam ambivit Calvinus, dum ad fidem,
& authoritatem ex falso miraculo sibi
conciliandam , eum, qui se mortuum
fingebat , simulatè resuscitare volens,
ex vivis ad inferos transmisit ? Et quid
Lutherò accidit , quando dæmonia-
cum

cum exorcismis aggressus , turpil , & sa-
nè obscænā fugâ libi salutem quærere
coactus fuit ? Hinc sanè credo , Zwing-
gium perterritum , ut non aequè ac
Lutherus & Calvinus auderet tentare
patrationem alicujus miraculi , sed con-
tentus fuerit suo spiritu , quem nescie-
bat , albusnè , vel ater esset , cùm tamen
Philippus Melanchton in cap . 3. Matth.
dicat : *Quando magna sunt tenebrae , vocari
novos Doctores , & semper addi à Deo miracu-
la , ut certò sciamus , à Deo esse missos .* Nun-
quid autem circa reformatam , ut ajunt ,
Zwinglianam Ecclesiam erant tenebrae ,
dum teste Breitinger Opusc . de sc̄t . Ital .
vers . pag . 38 . 39 . 41 . 43 . mille sexaginta
annis ita de medio hominum perijt , ut
esset incognita , & absconsa ? An non
igitur opus erat miraculis , ut in lucem
produceretur à Zwinglio , ejusque se-
ctoribus ?

III. Pergit Heideggerus cit . § . 22 .
Et miracula , inquiens , Eremitana quod
attinet , ea plura collegit , & per latu-
ram

ram congesſit Myllerus quidam libro vernaculo in vulgus edito. In quo tamen libello in antecessum id notandum putem, quod ne unum quidem ex tribus prioribus, quibus miraculis etiam inclaruisse hanc Divam fertur, afferre potuerit. Quod ipsum conjecturam præbet, sero satis illam de Dedicacione Sacelli Divinâ fabulam percrebuisse.

IV. Leve, & in Dialeticâ reprobatum argumentandi genus petitum ex conjecturâ, quæ solâ authoritate negativâ nititur. Cui tamen respondetur, non à Myllero duntaxat, & novissimè à P. Paulo Betschart in suâ Thaymaturgâ Einsidensi, item à P. Conrado Hunger in suâ Einsidensi Chronicâ, alijsque pluribus, exteris quoque authoribus, esse descripta omnis generis miracula, legitimis probationibus, testimonium quoque juramento firmata; sed insuper, si opus est, ostendi poterunt plura antiquissima instrumenta à summis Pontificibus, alijsque Prælatis ac personis

sonis publicis authentizata, in quibus
perhibetur testimonium de miraculis,
quæ per merita Beatae Virginis in Sacel-
lo Einsidensi Altissimus est dignatus o-
perari, & in dies adhuc operatur. Qui-
bus si Tigurum quoad primævam præ-
sertim miraculosam Saceili Einsidensis
dedicationem, necdum habere fidem
velit, cedat saltem Majorum suorum au-
thoritati; publicum enim in Archivio
Einsidensi extat instrumentum civita-
tum Tigurinæ ac Bernensis, atque reli-
quorum Cantonum sigillis de Anno
1465. munitum, quo clarè asseritur,
Sacellum Einsidense ab ipsomet Deo
seu Christo consecratum esse.

DISSERTATIO XXII.

*An miracula per Divæ Virginis Ein-
sidensis meritum & intercessionem patrata tra-
bantur in patrocinium doctrinae falsæ, re-
pugnentque sacra Scriptura?*

I. **C**Alumniandi artis peritissimus
Heideggerus §. 23. ita argumen-
tatur.